



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 133. Turbæ, ac civilia Genuensium bella

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.

A. C. 1446.

Duce ad suas ditones se recepit, quem nil mali suspicantem Dux sinistris aliorum accusationibus, sive demum veris, sive confictis pulsatus, in suo Guildonenſi caſtro comprehendi, & primum Dinantium, inde ad Rhedones, demum ad Caſtrum Brientii, aliasque urbes abduci juſſit. Tandem vero Ægidius ſolido triennio diverſorum carcerum ſqualore, ac graviffimis ærumnis confectus, in lecto ſuo mortuus repertus eſt. Quamvis quidam naturali eum morte extinctum ſtudioſe in vulgus ſpargeretur, non deerant tamen, qui illum a ſuorum Satellitum nonnullis clam dato mandato ſtrangulatum crederent.

§. CXXXIII.

Turbæ ac civilia Genuenſium bella.

Monſrelet.
Vol 3. c 3.

Genuenſes per plures jamjam annos continuo ſeditionibus civilibus agitabantur, diſſidiis inter ſe exortis, cum nunc regnaret Theodorus Montis Ferrati Marchio, nunc Philippus Galeatius Mediolanenſium Dux imperium teneret, jam vero ſummam Reipublicæ adminiſtrarent Fregofii, Adornii, aliique Viri ex nobiliſſimis Genuenſium Familiis deſcendentes. Horum bellorum flammas tandem extincturi, anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quarto Carolo

rolo VII. significant, se Regi Dominium Sæcul. XV.
 totius status Genuensis cessuros: ast sur- A.C 1446.
 das pulsarunt aures, eo quod inter duas
 factiones, quæ urbem scindebant, alte-
 ra esset Gallorum imperio longe infensis-
 sima. Erat Benedictus ab Auria Gal-
 licæ nationis studiosissimus, huic quoque
 Fregosii accedebant, & in Adornum Rei-
 publicæ Ducem, qui omnes Regis Gal-
 liæ fautores velut rebelles habebat, con-
 jurabant, moxque hunc in finem quos-
 dam ex utraque Auriensium, & Fregosio-
 rum familia cum quinque bellicis navi-
 bus Massiliam decreverunt, inde Regi Ca-
 rolo per nuncios indicantes, se illi totius
 Genuensis Reipublicæ dominium, si ac-
 cipere illud vellet, ultro delaturos.

§. CXXXIV.

*Status Genuensis Regi Gallicæ
oblatus.*

Rex potentiores sibi favere videns, co-
 pias suas ad Alpes promovebat, at-
 que ad Genuenses Archiepiscopum Rhe-
 mensem, San-Vallierum, Taneguinum a
 Castro, & Jacobum a Corde ærarii Regii
 Præfectum Legatos decernebat, data
 plena potestate, ut cum eis pacta inire
 possent.